



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Sub lege & sub gratia quomodo est homo. tit. 163

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

noſter qui es in cælis, & cæt. Si hoc eſt peccatum, ergo docuit Chriſtus peccare, quod eſt falſum? Si non poteſt peccare Chriſtianus, ſicut Anabaptiſtæ mentuntur: Cur iubet orare Chriſtus, Ne inducamur in malum, ſed liberemur ab omni malo, & c?

SVB LEGE ET SVB GRATIA quomodo eſt homo.

TITVLVS CLXIII



PRIMò, Apoſtolus ad Roma 6. inquit: Nò enim eſtis ſub lege, ſed ſub gratia. Peccabimus ergò? Abſit. Sic quidè carnales dixerunt, Chriſtus liberauit nos à lege, & vocauit ad gratiam, ergo violare legem non eſt peccatum: Sic Anabaptiſtæ inſinuant. Sed notandum, quòd homo habet corpus & animam, eſt vetus & nouus homo. In corpore & carne hominis adhuc viuit auaritia, luxuria, ignorantia, ira, ebrietas, & cæte. Romano. 7. conqueritur Paulus, Non habitat in carne mea bonum, & quoniam vetus Adam adhuc viuit, idèd neceſſaria eſt corpori lex & flagellum, & ſarcina, & pædagogus, Gala. 3. & 1. Timot. 1. nè caro dominetur, idèd indiget fræno & lege. Ob id homo ſecundùm corpus adhuc eſt ſub lege.

Sic patres officioſi erant legibus, præceptis, regulis, votis, vigilijs, laboribus, omnia ad domandum carnem ne homo macularetur operibus carnis, 1. Corint. 6. Ephel. 5. Galat. 5. & priuaretur ſalute. He leges propter vitam ordinatam inſtitutæ ſunt. Non vt remitterent peccata, aut darent ſpiritum ſanctum & vitam æternam. Idèd lex & prophetæ vſque ad Ioannem, Matthæi. 11. & lex pædagogus eſt vſque ad Chriſtum, Galat. 3, Lex reſpicit ad diſciplinam corporis, & cohibet illud, donec venerit ad alium effectum & opus, id eſt, Iuſtificationem. Ibi cedit lex, & oſtendit Chriſtum

Christum. Et hanc disciplinam exigit Deus etiam ab infidelibus, & præmijs corporalibus adornat, sicut Exo. 1. de obstetricibus, & etiam punit, sicut patet in Pharaone, qui submergitur, Exod. 14. cō quod ipse submersit contra præceptum Dei Exod. 20. Non occides.

Secundò, Homo habet animam. Et est nouus homo vel creatura, & secundum animam per fidem est sanctificata & iustificata, & habet iam ex gratia promissionis salutem æternam propter Christum, ita quòd opus non habet iustificationem hanc quærere à legis operibus. Est enim sibi Christus, iustitia, sanctificatio, & redemptio, 1. Corinth. 1. In illius gratia uiuit & consolatur. Et sic anima per fidem iustificata, iam non est sub lege, sed sub gratia Christi, per quam credit saluari, Acto. 13. & iustificari, à disciplina legis peruenit ad conscientiam, quæ sanatur sanguine Christi.

Tertiò, seruat tamen homo iustificatus hanc disciplinam legis, cæremoniarum, cultuum, religionum, &c. Primò, ad cohibendam carnem, quia lex pædagogus est, Galat. 3. Secundò, ad ordinem uitæ 1. Corinth. 14. Omnia in nobis fiant ordine & honesté. Tertiò, sunt media per quæ & apprehendimus & retinemus Christi dona Marc. 1. Pœnitementi, & credite Euangelio. Quartò, etiam Deus egregijs præmijs illa ornat spiritualiter & corporaliter, sicut patet in promissionibus legis, Exod. 20. Deuteron. 28. Leuit. 26. Qui ergo iuxta corpus uolunt esse liberi, & non sub lege, illi peccant in Deum & superioritatem. Propterea admonemur 1. Petr. 2. Subditi estote omni humanæ creaturæ &c.

DE SATHANAE TENTATIONIBUS CIRCA SALUTEM ACQUIRENDAM

TITVLVS CLXIII.

PRIMÒ